COMMENTARIOLUM PATHOLOGICUM DE TABE NERVOSA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XII. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS GUIL. LUD. SCHAPER

HALBERSTADIENSIS.

OPPONENTIBUS:

R. MOLINEUS, MED. DR.

F. SCHMIDT, MED. DR.

W. REINHARDT, MED. CAND.

BEROLINI

FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

AMICO DILECTISSIMO

Dr. HASCHKE

OPUSCULUM

D. D. D.

AUCTOR.

Si a primis inde temporibus fere ad hunc usque diem medicorum libros perlegimus, levissima modo morbi nostri vestigia invenimus, ita ut et veteres et recentiores medicos tantum non novisse hanc tabem lubenter credam. Etsi enim permulti et veterum et recentiorum tabis, phthiseos, marasmi, atrophiae, συντήξεως etc. mentionem passim faciunt tam ambiguam, ut et huc referri posse videatur, neque tamen nomen, neque historia morbi ante finem saeculi MDCC uspiam legitur. Utrumque, nomen et historiam a cel. Richardus Morton, medico anglico, primum accepimus, qui in libro „Pthisiologia, sive tratatu de Phthisi in tres libros comprehenso lib. I. c. 1." de hoc morbo sat distincte loquitur. Quem cum multi recentiorum secuti sint, saepius in artem medicam novissimis

temporibus recepta est phthisis nervea. Sicuti autem fere de omnibus morbis disceptant medici, ubi de re essentiali, sive de causa proxima sermo est, ita et de phthisi nervea alii longe aliud sentiunt. Quas autorum sententias si in hoc omitterem libello, merito obtrectarer. Ne vero de obscuris sermonem faciam, illas attingam, postquam morbi historiam enarravero. Hanc passim invenimus, longe sibi alienam, et nomine modo hoc, modo illo descriptam. Morbns igitur vocatur Phthisis nervea, nervosa, tabes, atrophia nervosa, tabes sicca, hectica; consomption par causes morales, par fatigue générale, par accroissement rapide etc.; nervous atrophy; nervöse Schwindsucht, Nervenschwindsucht, Nervenabzehrung. Rei autem maxime congruum duco nomen tabis nervosae.

Quicunque in hanc tabem inciderint, cibum confestim aversantur, de ingenti femorum et crurum imbecillitate queruntur, atque macie in dies aucta sine febre, tussi, spirandi difficultate ullaque evacuatione sensihus percipienda, deliquescunt.

Huic vero adumbratae speciei atque formae tabis nerveae, totius morbi et aegritudinum, sive sint saepe, sive sint raro cum illa, decursus delineatio accedat, necesse est.

Iam in morbi principio adeo vires langues-

cunt, ut aegri levissimo labore fatigatos viribusque haustos se profiteantur. Qui autem, cum novissimis diebus ex toto sani fuissent, facilius fraudulenti, quam absque causa aegrotantes habentur. Dum nec viscus aliquod laesum videatur, nec quidquam immodice seeretum, neque excretum appareat, contabescunt. Facie pallent et livent, et pustulis quandoque, et varis eam foedatam referunt, matutinisque horis facie tument. Oculos ut plurimum lippitudine et lemis palpebras glutinantibus sordidos exhibent, cutimque siccam, aridam, frigidam et minime perspirantem. Cibum praeter modum fastidiunt, potulenta vero magis amant. Aegre concoquunt. Inflatione inani, vix unquam cessante, laborant, ut raro famis sensum percipiant, ructus flatusque, quibus valde cruciantur, copiosos reddunt. Stomachi regio, etsi nec renititur, nec tumet, pressa tamen acutissima dolore afficitur. Linguam habeut muco viscido et crasso obductam, quasi pituita obstructi essent, saepe vero siccam puramque, subinde rubram nitidamque. Alvo pigra adstrictaque sunt, ut eam enematibus salvere cogantur. Urinas emittunt nunc rubras, nunc pallidas, nunc admodum paucas et saturatissimo colore praeditas; nunc (licet raro, uti in nervosis affectionibus accidere solet) copiosas, pallidas atque aquosas, nunc pingues turbidasque, nunc mi-

nus, nunc magis redolentes. Capilli fluunt. Pulsus deprehenduntur modo rari, tardi, molles, parvi, modo rari et aliquanto duriores, et modo paululum frequentiores, parvique, sed ut fere semper fit, inaequales et ratione roboris, et ratione temporis. Morbo increscente sentiunt aegri spirandi quandam difficultatem, nimia debilitate, ut in omnibus languescentibus accidere solet, interdum autem pulmonum sensibilitate provocatam, ita ut, si hoc fit, tussi, initio sicca, tum autem sputis et mucosis, et puriformibus stipata, concutiantur. Nocte dieque pertinacissime vigilant, nec somno recreantur. In summum emaciati viribus tantum labent, ut lecto affixi vix motum voluntarium exhibeant, et e minimo ad istum conatu artuum tremore corripiantur, immo, rarius quidem, convellantur, animique deliquia, mortem simulantia, patiantur. Abdominis musculi in omni decursu praeter modum saepe tenduntur. Sed imprimis frigoris sensu moventur, ut et aestuosis diebus plures vestes petiant. Ingenium animusque ab initio iam hebescentes magis magisque in peius mutantur. Iudicandi vim amittunt, alucinationibus vexantur, nec usitatissima intelligunt. Animus, quondam hilaris, moerore turbatur atque tristitia. Aegroti animo perturbantur, fiunt anxii, spem salutis amittunt, donec ne suo quidem statu amplius moveantur,

sed omnino torpescant. Uti morbus sensim sensimque augetur, ita et sensus alienantur et depravantur, imprimis autem audiendi videndique facultates, quae haud raro omnino non explent munera sua.

Haec tabis nerveae species, et si nullam ciat febrem, compluresque persistat per annos, totum corpus tamen adeo conficit, ut vix ossa cutisque superstites videantur. Aegroti, senes ante senestutem, fatui quasi, facie hippocratica decumbentes habituque suo propinquos ipsos terrentes, sive subito spiritum edunt, sive morbo etiam in magis aucto, modo urinam copiosissimam demittentes, modo sputa puriformia edentes et diabeticorum et phthisicorum speciem simulantes, enecantur.

Attamen non omnes eundem morbi exhibent decursum. Nonnullis enim ad summum iam emaciatis, viribusque labefactatis ex inopinatu revertitur appetitus, isque fere immodicus, viribus mox reficiuntur et e toto sanescunt. Nonnulli vero, sive aequiore vita, sive medici auxilio adiuti, sensim sensimque convalescunt. Sin autem sequiori fato profligantur miseri, et neque sanitatem recuperant, neque virium vitalium exhaustione intereunt, modo tabe nervosa febrem hecticam demum ciente, modo longe diversis aegri-

tudinibus febre hectica stipatis et a tabe nostra in medium provocatis, exstinguuntur.

Quod si evenit, frigus passim intercipitur calore, initio rarius, tum saepius: calor frigusque invicem se excipiunt uterque aegrotanti aeque ingratus et deniqne interius calore quodam assiduo uruntur, quem nullo modo contemperare possunt. Haec ubi primum percipiuntur et febris hecticae primodia apparent, sed tam obscure fraudenlenterque, ut facillime oculos non admodum attentos fugiant. Pulsus mane vix frequentiores, debiles, inaequales, vespere fiunt celeres, duriusculi, immo contracti. Sed hic, uti in omnibus febribus nervosis valde variant pulsus, ita ut, qui mane febriculosi, vespere, licet omnia alia signa febris praesto sint, tardiores, rariores, (inflati-quasi) maiores fiant. Febris acerbatio, initio semel modo in die, et quidëm versus vesperam, aut typo tertiano quasi ingrediens alternis diebus, deinde autem bis in die se exserens, cognoscitur etiam e circumscripta generum rubore, cutis siccitate atque calore, palmae manus plantaeque pedis ardore, aegroto medicoque inimico, lingua sicca et nitente, siti modo modica, modo vero acerba, inquietate atque anxietate. Quaevis febris accessio sudoribus et topicis, imprimis faciei, pectoris atque colli, et universalibus finitur et morbo isto adflictos debiliores in dies reddit.

Aegroti lectum deserere prorsus nequeunt, atque mox funestissima signa exhibent, quae cerebri nervorumque vim labefactatam probant. Animus fit demissus et ad omnia quasi adiaphorus, mens turbatur, stupet. Somnus improbus aegrotum tenet, merito iam sopor nominandus, e quo nonnullis diebus post haud expergiscitur. Non raro autem huiusmodi aegrotantes morte apoplectica obripiuntur prius, quam ista mortis iminentis signa huius metum incutiunt, ita ut e lecto surrecti subito concidant.

Provectiori morbo non febris modo, sed et infaustorum signorum copia saepius accedit. In his vero incenduntur tussis, pulmonum horrenda labes, vehementia naturalium mala, cutisque fallacia vitia. His valde quidem conficiuntur aegri et non raro etiam magis, quam tabe ipsa consumuntur, morbus tamen nullus alius est, nisi tabes, quae modo signa ista accidentalia in contubernio suo alat.

In deplorata morbi statu tenuati tussire et febricitare incipiunt, et celerius inde labefacti in phthisin pituitosam vel immo exulceratam labuntur. Febris lenta sensim mutatur in hecticam et ex hac fit scelerata ista febris, quam merito phthisicam vocamus.

Alii autem aliter profligantur. Siquidem huic liquor prostatarum, aut semen ipsum genitale

cum urina prodit, pollutioque diurna familiaris fit, illam leucorrhoea hebetat. Iam prius vero menstrua turbantur in foeminis, immo subsistunt; quod cum ab magnam debilitatem contingit nulla ratione, reluctante natura, revocari debent

Urina extremo tempore super potionum modum nonnunquam profluens, sitim adauget atque maciem periculumque accelerat.

Non raro etiam in hydropicum et oedematosum corporis tumorem finitur tabes, ita ut hydropium quoque genus ab illa originem ducat.

Summa cum tabe familiaritate cutis vitia, omnia mala se excitasse mentientia, utuntur. Corporis pruriginosi summa cutis per assiduas pustulas aut ulcera saepe exasperatur.

Nonnunquam sanguinis denique profluvia, doloresque vagi, scorbuticae labis instar, tabes nervosa, in summum fastigium adducta, inducit.

Ad ultima vero ventum esse, testantur nares acutae, collapsa tempora, oculi concavi, frigidae languidaeque aures et imis partibus leniter versae, cutis circa frontem dura et intenta, color luridus, sensuum imbecillitas, ungues digitique pallidi, lipotymiae, delirium, insania, stridor dentium, nervorum distentio, sudor frigidus, et inscio aegroto alvi urinaeque deiectio. Ut uno denique verbo me absolvam, febre typhode quasi, proteiformi consumuntur aegri. Eadem licet ratione,

atque in omni morbo nervoso, omnia variant signa, et febris, etsi accidentalis, attamen in lentae nervosae modum incedit. Idemque morbus, quamvis est longus, in incertum tamen persistit, et hunc nonnullis mensibus, illum permultos post annos vita expellit.

Illas affectionum cxpressas imagines mente concepi, dum litteras Morton, Brookes, Whytt, Lorry, Burserii, R. A. Vogel, imprimis autem praelectiones, et experientia et studiis summi praeceptoris Berends, pervolverem. Quamquam Haase et Raimann hanc tabem in scriptis suis numerant, hos tamen vix morbum nostrum delineasse, et potius febrem hecticam primariam illorum oculis obversatam esse, dixerim.

Universus affectuum decursus morbum e primaria nervorum labe originem duxisse profitetur. Ista enim debilitas, quae iam in primo mali ingressu toto persentitur corpore, tristia, moeror timorque, hinc morbi instigatores, illinc eius effectus, quae omnibus antecedunt pathematibus et tum in omni decursu signorum nervosorum dicta vis hanc sententiam satis superque probant. Nervi, coucoctioni inservientes, initio iam officia sua denegant, unde vasorum viscerumque genus, intimo nexu cum nervis coniunctum, simili sub inde strage prosternitur, nec amplius muneribus fungi potest. Difficili laborant aegri digestione;

cordis vis minuitur, ut rarius tardiusque perficiat motus; auteriarum pulsus retardantur, debilitantur et in aequales redduntur. Calor innatus minuitur, imprimis illis in partibus, quae magna nervorum copia praeditae, aut a corde remotissimae sunt, ut in capite partibusque extremis. Humores quasi stagnantes denique corrumpuntur, postquam hinc atque illinc accumulati malorum agmini novum addidere. Omnia igitur signa commune habent viuculum quoddam et quasi cognatione inter se continentur.

Sententias legimus longe diversas, quibus labes ista nervorum acute explicetur. His enim, Morton et Richter., causa continens videtur esse in genere nervoso, a praeternaturali statu spirituum animalium et a tono nervorum everso proveniens; illi vero, R. Whytt, in statu morbido nervorum ventriculi intestinorumque abdominis, cladem totius corporis efficiente. Burserius nervei succi inopia nervorumque laxitate atque inertia evenire affirmat, ut partes propemodum resolvantur. Haase et Raimann omnium malorum orginem e nimia nervorum sensibilitate, concoctione inerti stipata, petiunt. Habeant sibi sententias. Si modo, quae supra dixi, rationi non repugnant, mitto nervei succi inopiam nimiamque nervorum sensibilitatem. In indagatione cau-

sarum morbi, et praedisponentium, et occasionem praebentium versari placet.

Utrum vero corpora babitu quonam prona redduntur in tabem, an non? Et de hac re sententiis distant scriptores. Morton, Geo. Gottl. Richter, Fr. Seip, R. A. Vogel, Sachtleben et Conradi e habitu aedematoso, chylo effoeto quasi infarcto, cachectico, saepius atonico, quam sensibili proclivitatem in tabem nervosam cognoscunt. Haase, Raimann et maxime venerabilis Berends pronum e contrario in tabem ducunt habitum gracilem, qui facillime turbari potest, nec animi pathemata, neque extrinsecus inlatam vim, eamque parvi momenti, sustinet. Quodsi haec effata omni ratione atque animo lustramus, hi quidem commentitia haud dixisse, illi vero veritati propius accessisse videntur.

Quamvis enim permulti, habitu gracili debilique instituti, facile in tabem cadunt nervosam, proniores tamen sunt huiusmodi homines in febrim hecticam primariam, minime cum illa confundendam, quod celeberrimo Haase prorsus placuit. Hic et Raimann sequiorem sexum tabi nervosae magis obnoxium censent, quam virilem sed et haec verbis suffragari videntur meis, utrumque febrem hecticam primariam pro tabe nervosa habere. Cel. Berends omni iure, ex aequa utriusque sexus in

tabem proclivitate, viris illam, ob causas accasionem praebentes, magis familiarem ducit.

Neque vero hi, neque ceteri autores, si modo Haase exceperis, de hereditaria, vel congenita in morbum dispositione sermonem faciunt; nec praecipitur quidquam de aetate magis minusve in tabem prona. Si oculos in ea convertimus, quae nocent atque in ea, quae in scriptis cel. autorum usu veniunt, eo favillime adducimur, ut non omnem nervorum congenitam denegemus dispositionem et eandem nervorum, motu facillimorun, in tabem procliritatem quacunque in aetate, excepta forsan infantili, agnoscamus.

Itaque perscrutemur ea, quibus oritur morbus et quae ista atrocitate in mortalium corpora irruunt, ut, fere sine ullo iuvamine, illum ciant. E triplici fonte, sitientes quasi, veneva obducimus. Mens, corpus, res externae, suas hic singula partes agunt. Nervorum igitur vires ex animo, motu et nutritione, prout his aut nimis impelluntur, ant a negotio suo avocantur, hauriunt noxam.

Agmen vero ducat animus, gravis mali summus concitator- Merito Cicero „quodsi, inquit, corporis gravioribus morbis vitae iucunditas impeditur; quanto magis animi morbis impediri necesse est? Animi autem morbi sunt cupiditates immensae et inanes, divitiarum, gloriae, domi-

nationis, libidinosarum etiam voluptatum: accedunt aegritudines, molestiae, moerores, qui animos exedunt conficiuntque curis.“ In animi vero actionibus sunt, quae, dum moderatae profuissent, quod modum excedunt, nocent, uti mentis nimii motus. Itaque res, quae alium acuunt, alio languorem afferunt. Lucubrationes, meditationes effusae, cum varietate studiorum licet tolerabiliores, vehementi cogitationum in eandem rem intentione, non interrupta, omne genus perturbationum mentis, sensuum impotentiam atque virtutis nerveae resolutionem inferunt. Accedunt etiam vitia ex motu animali neglecto, vitaque sendentaria aut stataria, literarum studiosis familiari, ex se iam sat gravia, graviora autem, ubi robur corporis cogitatione inquieta iam diminutum est. Illa celerius quoque eveniunt, si lucubrationibus imaginandi vires nimium commoventur. Literati artiumque studtosi iniquissima tabe saepius inde conflictantur. Sed haud aequiore se obstringunt sorte, qui mentis negligunt culturam et ne his quidem non inducitur virium torpor, hebetudo atque dispendium. Animi affectus, pathemata porro tum augent vitae iucunditatem, tum impediunt. Modo inducunt nervorum resolutionem, dum eos nimis incendunt, modo autem, dum eorum vim ipsam arrodunt. Id per quemque ardorem perficitur, qui iustis limitibus cinctus vires

maxime promovisset: laetitia, amor castus, virtutis studium pietasque, si rationi viribusque eius conveniunt, qui istis movetur, summam utilitatem et in corpore et in mente ex intimo horum inter se commercio exserunt. Sin autem has leges excedunt, simul omnia pessumdant. Longe aliter res se habet de istis cupiditatibus nefandis inanibusque, quibus ipsis vires vitaque obroduntur atque consumuntur. Tristitia, moeror, ira, odium, metus, terror et virium corruptelae et vitae taedio aeque familiares, ubi primum se exserunt, sanitatem in discrimen vocant. Peculiari igitur modo quilibet animi affectus internas vitae sanitatisque conditiones convellit, vires corporis motrices opprimendo, exagitando, perturbando. Inde gaudii comites auctior, expeditior circulatio, secretio, excretio; sed et insomnia, virium resolutio etc., ubi nimium est. In amore non absimilia sunt: longum autem rei amatae desiderium, et aegritudo de perdenda aut non obtinenda inquietem, nostalgiam, melancholiam, languorem atque tabem inducit. Odium, invidia, avaritia, appetitu prostrato, inedia, pallorem, torporem et maciem inferunt. Moerore, signo ut plurimum morbi et causa, vis nervea languet, tonus partium fatiscit, motus animales minuuntur: unde pulsus tardus, coctionis et nutritionis defectus etc. Metu tremunt membra, humorum

inducitur lentor, faciei corporisque pallor, perspirationis suppressio naturaeque ad munia sua impotentia. E nostalgia, inanis patriae atque amicorum desiderii prole melancholia, tremor et absque diris signis tabes et mors nascuntur, quibus summa saepius strages exercitui paratur. Citius autem conficitur, qui modo hoc, modo illo incenditur mentis animique ardore. Attamen summa protinus noxa istis cupiditatibus inest, quibus non solum vires corporis motrices, sed sentiendi quoque vires profligantur; in quibus sunt libido, venus ipsa, et in sordidissimam onaniam proclivitas. Dum vero de his loquimur, maxime monendum est, eatenus morbi nostri causis accensendas esse, quatenus istam nervorum turbam excitant, qua fit, ut per insensibiles evacuationes humores e corpore ita exeant, nutritioque ita deficiat, ut lento marasmo pereat corpus. Nam si seminis, dignissimi humoris, iactura simul nervorum dibilitatem atque corporis extenuationem infert, aliter morbus decurrit aliterque audit.

Venio nunc ad vitia, quae redundant e κοιναίσθησι, sive sensu communi, organisque sensuum imprimis autem videndi audiendique, laborantibus. Haec sensim sensimque corpus ad tabem disponunt, ut data occasione, quamvis levissima in istam ruat, raro autem proprio marte phthisin

nervosam concitant. Affectiones igitur hystericae hypochondriacaeque, nervi motu et facillimi et difficillimi, et, sive penuria rerum moventium, sive copia, laesae sensuum vires, largissimam tabis materiam praebent. Huc denique pertinent dolor et anxietas ex affectu corporis nata, quibus iam saepius tabes ipsa provocatur. Ne vero fugiat oculos, quomodo omnes res, quas hucusque nocivas enarravimus, mirum in mobum conspirant in hoc unum, ut a principio iam coctionem corrumpant, satietatem inferant, edendi desiderium auferant.

Sicuti nervi corpusque, quod commodum dixi, a mente laeduntur, ita etiam et suis et singulorum organorum alienationibus eo ducuntur nervi, ut marcescat corpus. Primum nervis e duplici motuum genere, altero spontaneorum, altero eorum, qui voluntate nostra reguntur, noxa consciscitur, deinde autem labefactantur concoctione, secretione et excretione alienatis nutritione depravata.

Motus corporis voluntate concitatus, dum modum excedit, vires adeo absumit, ut tabescant aegri. Immodicas corporis exercitationes non secius, ac nimiam ab istis abstinentiam corporis sequitur hebetudo atque marcor, motus autem, qui voluntatem ipsam eludit, uti epilepsia, motus epileptico convulsivus etc., frequentissimis malis

stipatur, in quibus tabes nervosa haud ultimum obtinet locum. Eodem fere more e somni vigiliarumque interperantia nanciscimur mala. Siquidem pervigiliis vires discutiuntur, somno exstinguuntur. Sive sit hoc, sivi illud; calor innatus denique minuitur, stagnantes quasi humores ad nutritionem minus apti redduntur, sanguinis in pulmonibus, universa clade nunc quoqne correptis, commutatio retardatur et nonnunquam plethora, tabi familiari, opprimuntur vires. V. Swieten errore tamen detentum censeo, qui tabem nostram solummodo e plethora humorumque alcalescentia oriundam ducit.

Non solum alienationes accessoriae nutrientis producentisque vitae sunt, quas hic lustremus, sed ista denique vitia perpendenda sunt, quibus nutritio totius corporis nervos ita profligat, ut tabi nervosae et faveant, et eam omnino inferant. Haec valde diversa sunt. Partim tamen nituntur in corporis ipsius labe innata adventitiaque, partim in rebus externis, inique comparatis. Nervea vis corporis accelerato incremento adeo debilitatur, ut corpus contabescat, quod iunioribus inprimis contingit, qui admodum crescunt. Haec tabis species apud Gallos appellatur consomption par accroissement rapide. Adulti etiam absque evidente causa conficiuntur genuina ista tabis nervosae specie, ne coniecturali quidem noxa pro-

vocata (atrophia Fernelii, γῆρας Galeni) a marasmo senili longe aliena.

Summo autem amore corporis extenuatio coctionem amplectitur laesam, cui et digerendi et assimilandi et secernendi et excernendi facultates accemsendae sunt. Quatenus est in ventriculi ditione, eatenus a uonnullis plus iusto celebrata est, quae tabem efficiat, ita ut cel. Whytt omnem noxam, sive causam continentem e laborante petierit ventriculo. Fac, probabilia non dixerit, negari tamen non potest, ventriculum magnum malum, forsan non ad excitandam, sed ad pro movendam esse extenuationem. Si ventriculus visceraque haud bene digerunt pravus paratur chylus, in sanguinis licet detrimentum, unde mala nascuntur, de quibus commodum dixi. Nascitur inde cum copia, tum penuria sanguinis, utraque aegris aeque infesta. Per illam obesitas alitur corporisque habitus oedematosus, in morbi principio tam vulgaris, per hanc corporis ambitus viresque iam in primis labefactantur. Nec dubito fore, quin absque digestione difficili e nervorum labe multo facilius alii nascantur affectus, ac tabes nervosa. Idem evenit ubi nimia violentia aut copia egeritur e corpore, et quod excerni et quod retineri debuisset. Permagni autem est, quid, et quo loco id e corpore emittatur. Ita quilibet sangui fluxus et proclivi-

tatem in tabem et tabem ipsam provocare potest, at vomitus cruentus multis aliis sanguinis profluviis potius illam ciet. Maiori etiam noxa e naturalibus semen funditur, aut mucus quandoque et pus excernitur, quae tamen tabi dorsuali magis favent, quam tabl nervosae. Saliva, sudor, lac in uberibus, alvi excretio repentine concitata aut modum axcedentia in tabem coniiciunt, nec morbi aut gravitate, aut cura, vim non conficientes.

Quomodo mens nimis otiosa damna ista intulit, ita etiam labor est, ubi nimia tarditate egeritur et plus etiam, ubi, quae egerenda essent, adstringuntur. Mensibus, haemorrhoidibus, sudore, sanguinis profluvio, excretione alvina, ulceribus aliisque morbis, eo ipso tempore ad vitam necessariis, suppressis, tabes nervosa facilius conciliatur, quam omnibus simul excedentibus istis.

Postremo rebus externis nutritioni tanti labores parantur, ut vires hauriantur corporaque extenuantur. Natura coeli imprimis magnam vim exercet et e Virginia in Britanniam reducibus tam familiaris est tabes nervosa, ut a nonnullis tabes virginica nominetur. Quum in Virginia coeli temperies valde variat, saevissima hiemis fervidissimaque aestas conspiciuntur, summa siccitas magnos saepe et assiduos imbres excipit, facile in deterius pellitur corpus, ut sub Britannorum pluvioso, nebuloso foedatoque Jove, tabis amico,

contabescat. Ceteroquin autem omnes res externae in eundem conspirant finem, quae sive mentem, sive corpus eodem modo corripiunt, quo illae res, quarum iam mentio facta est, quum de noxa e mente corporeque loquerer. Potu igitur spirituoso, flatulento, fermentato, calido aquoso, remediorum intemperantia resiccantur corpora, quod vidimus in Anglia maxime Belgiaque. Amat tabes inediam, inopiam, victum tenuem, aut materia κακόχυμα, acri, inflante, nimis calefaciente, uti aromatibus condimentisque, aut refrigerante et cruda depravatum, nec nimis non largum nimisque nutrientem. His autem magis infestantur antea iam labefactati, aut vivendi rationem repentine totam commutantes, victum licet copiosum cum victu tenui, victumque angustum cum lauta coena.

Quae de tabescentibus sint metuenda aut speranda, emergit fere ex morbi historia. Nisi primis eius insidiis, quas lente omnino et clanculum struit, medetur, fallax lenitatis species in subitam virium stragem desinit. Qui tabe periclitantur, si iuvenes sunt vitamque haud iniquis degunt conditionibus externis atque opem medicam et tempestivam et rationalem exquirunt, saepe restituuntur in pristinam valetudinem, nec effata Bonnet et R. A. Vogel probo, tabem nervosam esse longe periculosissimam phthisique vulgari

nocentiorem. Sin vero iam febris aliaque infaustorum exarsere signorum, omnis fere spes salutis evanuit. Monendum deinque est, ne sanitatem e tabe recuperatam firmam habeamus. Qui enim ex illa convaluit, in illam facillime recidit.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego Carolus Schaper Groningis, in agro halberstadiensi sitis, d. VI. a. I. Sept. 1801. patre natus sum optimo, oppidi sacrorum antistite et matre e gente heinecciana. In gymnasio Halberstadiensi ab anno 1814 ad annum 1821 litterarum rudimentis imbutus, Berolinum me contuli, ubi academiae regiae medico chirurgicae militaris, per semestre spatium, sodalis, a Rect. t. t. magnif. Wilken d. XI. a. cal. Decbr. 1821. civium academicorum numero adscriptus sum. Per unum et dimidium annum ibi moratus Halam petii, eamque, in huius oppidi civibus academicis a Prorect. magnif. Maass licet receptus, XII. a. cal. Novbr. 1822, iam in insequente anno deserui. Berolinum redux, qui denuo almae universitatis literariae berolinensis civitatem adsequerer, Rect. magnif. v. Raumer nomen dedi, nonis April. 1823. Dum more academico degerem, has frequentavi praelectiones. Ill. Rudolphi de

encyclopädia et metodologia medica, de anatomia corporis sani, de anatomia organorum sensuum, de anatomia comparata et de physiologia; Ill. Knape de osteologia et de splanchnologia; Ill. Link de biologia generali, de botanice generali atque speciali, de historia naturali, de chemia medica, de geographia telluris physica et de plantis, quas cryptophyta vocat; Ill. Horkel de introductione in physiologiam. Disserentes audivi Ill. Krukenberg de Pathologia et therapia generali atque de pathologia et therapia morbornm gastricorum; Ill. Friedländer de materia medica; Ill. Horn de therapia speciali; Ill. Rust de chirurgia universali et speciali; Ill. Rust et Kluge de aciurgia; Ill. Kluge de arte obstetricia; cel. Iüngken de cognoscendis curandisque oculorum morbis, de acuirgia atque de acologia. Ad cadavera rite dissecandi artem me instituit Ill. Meckel. Exercitationibus clinicis interfui Ill. Rust. Sed praeceptori, quem summa pietate colo, Perill. Berends maximas, quas possum, gratias persolvo. Siquidem ille non doctrina solum sua me instituit, sed, et optimus dux, aegrotorum lectis amanuensem me per biennium adhibuit.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Ubi tabes dorsualis e seminis ipsa profusione oritur, tabes non est nervosa.

II.

Lui venereae mederi possumns e legibus therapiae generalis, nec poscit sibi medicinam, sic dictam, specificam.

III.

Optima est ars medica, quae principiis generalibus obtemperat.

IV.

Febris lactea, dum ex utero magis, quam e lacte originem ducit, melius uterina audit.